

DE CONSERVANDA

detrahendum, quia in pueris sanguis multus ad nutritionem & augmentationem requiritur. In senibus uerò uirtus iam incipit debilitari.

Ver. Quartum est, ut in Vere dupla sanguinis quantitas per phlebotomiam detrahatur, respectu habito ad alia tempora. Vere enim maximè crescere sanguinem apud omnes autores medicinæ in confesso est.

Porrò, quod ad primum attinet, regulæ quædam circa phlebotomiam obseruandæ sunt. Quarum

Prima est, ut in principio morbi non fiat Phlebotomia. Medicus enim, teste Gal. capite 87. artis medicinalis, est minister nature. Omnium inquit, natura opifex est, Medicus autem minister. Et in Comment. uicesimo secundo, libro quarto Aphor. Quando, inquit, aliquis incipit morbus, nihil tunc excernitur, nature ratione. Sicuti ergo natura in principio morbi non euacuat, ita nec Medicus. Hoc tamen in tribus casibus habet instantiam. Primò in materie furiositate, id est, si materia turgeat, unde Auicenna 4. 1. ca. 20. In principio morbi phlebotomia penitus dimittatur, quia humores commouet, & subtiliat, & eos per corpus fluere facit, ac sano sanguini admiscet, nisi materia sit furiosa, id est, turgeat. Secundo, in materie multitudine. Hinc Galenus Comment. 29. lib. 2. Aphor. testatur phlebotomiam, siue purgationem oportere fieri circa principia, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Tertio, in morbi magnitudine & uehementia, ut in aposte-